

Propter aquam seu te Parnassidos Hippocrenes
 Mons facer umbroso detinet in nemore,
 Huc pater, huc Thymbræ veni; sed detrahe fronti
 Laurum, nec Syrio rore madens niteat
 Cæsaries formosa: ostro pro divite pulla
 Vestis ad extremos defluat usque pedes.
 Omnia moesta decent: magni nunc fata Myræi
 Flendum est, heu! sæva quem rapuere manu
 Eximiis Parcæ dignum virtutibus ævum
 Ad multas alias ducere Olympiadas;
 Tithoni dignum durare, aut Nestoris annos,
 Et longa incanæ sæcula Deiphobes.
 Quid misero ingenium felix, quid nobile carmen,
 Et magnum Latia nomen in Arcadia
 Profuit; & vatum quod primus regna tenebat
 Parrhasii custos arbiter & nemoris?
 Quid sua cæruleos ultra prolata Britannos,
 Hibernosque ultra fama Borysthenidas?
 Et vatum illa manus doctorum, littore ab omni
 Arcadicas nomen quæ cupide in tabulas
 Læta dabat, septemque sibi poscebat avenas,
 Aptaque pascendo rura beata gregi?
 Munera quid Regum multa, & præclara tulisse,
 Gaudentum e cœtu dicier Arcadico,
 Gaudentum in sacris scribi sua nomina truncis?
 Quid miserum hæc Vatem tot bona tanta juvant?
 Num minus heu sævo consumptus funere sensit
 Parcarum immites in sua damna manus?
 Crudeles Parcæ, furvum genus, omnia quarum
 Nostra hæc obscœnis dispereunt manibus,
 Quarum nulla potest vim duram flectere virtus!
 Hæc ego sic multo tristitia cum gemitu
 Verba dabam tremulo singultu infracta; fluebant
 Mœstæ perque genas, perque sinum lacrimæ.